

in dies quinque. Solent autem metalla fortibus infusa, etiam absque extero calore efferuescere & solui. Facta solutione (ita enim appellatur hoc opus potissimum, nomine generali accommodato ad speciem) calx descendit, seu præcipitatur ad fundum, atque ita separatur à forti, cui exactè idè est permista plerumque, ut ubique appareat homogenia perspicua. Separatur autem infusa aqua dulci, aut etiam salsa, vel primum dulcis *Nonnun-*
calida immittitur, postea sal & coagulat amissa perspicuitate, Inde per qui- quam acerò
etem subsidet coagulum. In argenti solutione hoc peculiare est, ut vel la *idè praefat.*
minæ cupræ in patina locatae infundatur tota mistura; defertur enim ad
eam calx, & tanquam nebula incumbit vel farina: vel etiam in vas cupreum
transfundatur. Facto sedimento aqua defunditur; calx eluitur dulci, & di-
ligenter siccatur. Aqua verò illa vel ad medicinam in arthriticis dolori-
bus foris adhibetur, vel separatur destillando, & fortis procedit reliqua
dulci.

Est & alia separationis ratio per destillationem ex alembico, vel diuaporationem lentam, quo pacto coagulatio solet fieri. Illa usurpatur cum seruare aquam volumus & denuò ad opus accommodare.

In hydrargyro ea res nominatur potissimum præcipitatio vel fixio.

Porrò non omne omni soluitur aqua, ut aurum, quod duntaxat regiam requirit, vel stygiam, quæ omnia ita solubilia resoluit. Et habet locum non in metallis duntaxat, sed & in lapidibus, gemmis, marcasitis, & simili bus.

Est & attendendus usus illius calcis. Alia enim aqua fit solutio, cum calx corpori pro medicina ingerenda est; alia cum foris ad quævis alia usurpanda: ibi fugit stygia, & quæcunque veneni est suspecta. Nota tamen in toto hoc negocio, non meram fieri corrosionem, præterquam in auro puro; sed vna etiam aliquam corruptionem, aut alterationem saltem eidientiorem, ut videre in ferro, cupro, &c. est.

CAPUT XXXV.

De corrosione per pastam.

HÆc fit cum laminæ metallorum vel lapidum, &c. inducuntur pulticula coloritij, & veluti emplastrantur. Vnde opus hoc potest emplastratio appellari. Illa lamina reponitur alicubi, donec sit corrosa. Oportet autem pulticulam esse ex separabilibus, ut salibus, chalcantho, aceto, vrina, horumq; crystallis, ut elui possint denuò à calce facta: vel ob volatilitatem per sublimationem vel expirationem tolli, ut ammonius, &c. Huic nonnunquam cementatio substituitur. Et si non tantū simul vna illitione corrosum est, repetitur opera abrasa calce priore.